timet, iam anxiè meditatur, iam ſolicitè indagat, quic-
quid ſcribit, invita manu et metuente errorem calamo
ſcribit, accedunt quoque longa toedia, verborum minæ,
Magiſtri verbera, vbique timor comes eſt et pœna
peccantem manet, excipit, corrigit, ſed ecce quid eveniat!
ſic uva calcibus funditur et in Vini ſaporem liquatur,
ſic oliva contuſionibus expreſſa ſuam amaritiem deſerit
et in olei liquorem pinguescit, ſic per trituram areæ
à paleis grana ſeparantur et ad horreum purgata
perveniunt, contendit nimirum Tyro per difficultatē
ad facilitatem, per laborem ad requiem, per moerorē
ad lætitiam, certè riſu dignos meque dixerim eos qui
ſine luctu gaudium aliquod ſibi polliceri audent, quæ
enim tam felix lætitia exiſtere poteſt quam non
aliqua ſemper triſtitia concomitetur? inſpicitis
Auditores hortum amoeniſſimum? variegati hîc ſeſe,
et odore fragrantes ſuaviſſimo flores oſtendunt,
candent lilia, erubeſcunt Narciſſuli, at roſa florum
Regina ſuas habet ſpinas, aſpicio etiam omni frugum
abundantiâ refertam arborem, at amaram oſtentat
radicem, altiùs aliquantum erigamus oculos, video cœlū
ſed ferè nunquam ſine nubibus eſt, cerno ſolem, ſed